Σὺν ΘΕὨ καὶ τύχῃ ἀγαθῇ

Disputatio Ordinaria publica De DYSENTERIA,

Quam

Felici auspicio, Inclytæ Facultatis Medicæ consensu & consessu, proponet

Valentinus Hartungus Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Pathologicesq; publicus Professor,

Quatuor Viri Juvenes Artis Medicæ Baccalaurei

M. MELCHIOR SCHÖNFELD Lipsiensis.
VALENTINUS RUPITZ Magdeburg. Saxo.
CHRISTIANUS BERTRAM Dresdensis, Camicensis Physicus.
JOHANNES FRIDERICUS Lipsiensis.

Respondendo defendent ante & post meridiem

In Academia Lipsica 19. Martij,

Pro

LICENTIA assumenda.

LIPSIÆ, EXCUDEBAT JOHANN GÜLF / 1623.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Deo Optimo-Maximo Auspice.

THESIS I.

QUod DEUS idem Unus-Trinus benè vortat, æquinoctium vernum ejus ope clementissima denuò attigimus, ubi ut natura tota revivisscere & revirescere solet: ita etiam in corpore humano omnia redintegrari atq; renovari, sole ad nos propiùs accedente, adeoq; humores facilius commoveri, ab hyeme torpidâ ibidem relicti videntur, calore innato adaucto, qui tamen aliquantò diutius inibi retenti non solùm putrescere: sed & acrimoniam quandam & mordacitatem inde acquirere consueverunt: unde erosio Intestinorum sæpè contingere & per consequens Dysenteria excitari haud raro potest. 1. πεφανε.

II.

Vel præ aliis anni temporibus, ut æstate, ubi fructus horei non levem ad affectum dictum præbent ansam, apprimè in pueris παμφάγοις: nec non autumno: ubi poma & pyra, uvæ item crudæ crebriùs comestæ tale quid progignere valent. De quo morbo ut seculo hoc guloso frequentissimo, imò interdũ Epidemico placuit nobis agere in præsentia pro Quatuor Juvenum Virorum Licentia ad Doctoratum, quem honestè & modestè ambiunt, propediẽ impetranda. Com. 1. de nat. hum. t. 35.

III

A nomine a. meritò ordimur. Quia inde in rei ipsius & affectæ partis notitiam citiùs deducemur. 3. Comm. progn. t. 10. 2. M M. 2. & 6. ibid. c. 3. 1. de diff. puls. c. 1. Est v. græca voci origo (licet plerag. morborum nomina hodiè Lati- 2. ἴτυμον.

na civitatis jus obtineant & in vulgus: sed doctum nota sint, ut & in aliis disciplinis talia, ut in Logicâ syllogismus, Enthymema; Sorites) à δυς, quod difficultatem denotat, velut in δυσπνοία, δυσπεψία, δυσωρία, ac ἐντέρῳ, quod in aliquo Intestinorum, sive jam gracilium, sive crassorum oriri soleat: Unde & difficultas Intestinorum Latinis; Bauhini clarissimi Anatomici & Botanici suffragio l. 1. Theat. Anat. c. 17. ἔντερον verò à loco, ὅθεν τὸ ἔντος εἶναι. Quia in abdominis cavitate & capacitate sub peritonao & omento, sinuosis voluminibus sita Intestina. Germ. Die Därm/ q. darinnen/ ob contenta concisè, etiam Cœlij Aureliani l. 4. tard. pass. c. 6. autoritate: Dioscoridi q. per φέρεσιν ἢ ἐξήγησιν, δυσεντερικὸν πάθος.

3. πρῶτον πάχος.

IV.

Causaliter autem Exulceratio Intestinorum, lib. 3. de caus sympt. c. 2. 6. de Loc. aff. c. 2. Aet. l. 9. c. 43. Item Ulcus Intestinorum, cùm omnis morbus ulcus habeatur, Hipp. ob dolorem & molestiam l. de Flat. p. 1. Serapioni simili de ratione Excoriatio Intestinorum tr. 3. c. 25. ob tunicarum in intestinis abrasionem & Venularum arteriolarumq; erosionem indè ortam. Germ. Die rothe Ruhr / quòd sanguis rubicundus alvi fæcibus commistus prodeat. Item, die rothe Wehe / ob tormina ingentia & concomitantia hunc affectum, ceu symptomata inseparabilia à morbo, i. e. Continui divortio: & denique das Durchlauffend / ob profluvium alvi subortum, licet hac appellatio omnibus Ventris fluxibus, ut lienteriæ, diarrhœa & cholera sit familiaris. A primo germanorũ retinuit nomen herba Tomentitia, gnaphalium dicta, Rührkraut/ Plantula humilis & villosa, atq; incana, locis aridis & arenosis frequens: Sicut & lagopus trifolium illud leporinum ab hirsutie cognominatum ad lepidi illius animalis quadrupedis pedes

pedes alludens, mirae commendationis in hoc morbo vel substratum pro pluma, vel etiam pro anitergio applicatum; aut pro pulvinari sub veste gestatum.

V.

A nomine nunc satis diffuso ad rem & rhombum, cùm, uti jam monitum, Medici herbis: non verbis mederi blandirive debeant solertes & elegantes. Ut igitur Medicè id, ex Logicâ tamen, quae τρόπ ⊕ θλιψήμης ἀπάσης praestemus, statuimus hunc affectum Dysentericum esse symptoma & quidem rerum p.n. tertij generis, nempè Excretorum, cùm sanguis nunquam aut nuspiam in corpore humano, exceptis solius Cordis Ventriculis ambobus, s. n. reperiatur, praeterquàm in Venis & arteriis, ceu propriis receptaculis & hospitiis: unde si ex iis exciderit, putrescere consuevit, ubi ubi haserit. Morbus verò ipse ceu causa symptomatos, est exulceratio: sive ea jam fiat per ἀναβρωσιν, καὶ διαπήδησιν vasorum; sive ἀνάῤῥωξιν, sive ῥῆξιν. 4. ἀφορισμοὶ.

VI.

Inde non difficile erit nobis extruxisse definitionem θέσει ἢ πλάσει διὰ βεβαίου ἀποδείξεως, Quòd Dysenteria sit cruentum alvi profluvium minutim & crebrò fieri solitum, in utrûq; Intestinis, vel simul & semel, vel disjunctim in alterutris ortũ ab Exulceratione eorundem cum jugibus ventris terminibus. Aut. fin. med. c. 11.

VII.

Et hic morbus symptomatos istius causa proxima est & conjuncta. Is autem tanquam Efficientes agnoscit omnes causas Medicis celebratas 1. Procatarcticas è rebus sex non naturalibus malè administratis aut usurpatis petitas l. 1. de praesag. ex puls. c. 1. ut aëre calidiore & fervidiore, apprimè Canicularium aestu, praesertim in temperamento calido, esu ac usu ciborum acrium & vinorum generosorum, item musti acrioris, 5. αἴτια. 1. προκατάρκτικὰ.

vigilia item & exercitio multo. Quod utrumq; aut cuncta sanguinem adacuere queunt, vel Poëta calculo Candido: Et quæ non obsunt singula, multa nocent, addo & multùm. Quia ex Hippoc. oraculo τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. 2. aph. 51.

VIII.

2. πεπονημένα. Antecedentes, gr. πεπονημένα in corpore nostro sunt humores acres, biliosi & mordaces, unde unde eò confluant, ceu ad sentinam, diutiusq; justo ibi detenti putrescant, acrimoniamq; inde acquirant, & vim corrosivam, qualem habere solet pessima illa & nocentissima atræ bilis species Gal. l. de atra bile proprio, quæ instar aceti fortissimi & acerrimi, imò instar aquæ s. parationis erodit & abradit intestinorum tunicas venasq;, de cujus vi & violentia Scaliger ille aliger Philosophiæ Atlas & Medicinæ alter Apollo l. 1. de plant ad Arist. p. 110. hæc scita habet: haud parum inquit faceßit negotii segregatio illa auri ab argento, quæ fit nullo calore animali: sed à brutißimi liquoris facultate. An non & Spiritus Vitrioli tale quid alit? si sc. nudè & q. crudè absq; jusculo pingui aut conservà aliqua non guttatim: sed ut ita loquar, drachmatim, nedum unciatim absorbeatur, cùm Experientia nos docuerit Ventriculi tunicam cum muco consueto internam fuisse ejus usu nimio in jejuno ægro abrasam, eumq; in cachexiam aut atrophiam lethalem fuisse conjectum, qui crapulæ discutiendæ ergò & appetitus excitandi revocandiq; causa immodicè usurparat. Ne venenorum hic erodentium mentio fiat ulla, ut Arsenici, æruginis, sublimati.

IX.

Eæ porrò ipsæ causæ geminæ: Externæ aliæ: aliæ Internæ. Per externas intelligimus, uti modò fuit monitum, quæ Intestinorum tunicas extùs morsicant atq; vellicant, venasq; erodunt & exedunt. Per Internas v. quæ ab Epate aut venis portæ vel

3. ὑποδιαιρεσις αἰτιων.

ta vel Mesaraicis sanguinem talem saniemve transferunt & continui solutionem ibidem inferunt, item membra mutila & manca, unde reses sanguis ad intestina restagnat. An verò vermes corrodendo, ut sanguisugæ, Dysenteriam excitare valeant, disquiremus.

X.

Τὸ αἴτιον ἄμεσον καὶ συνεχὲς, i.e. conjuncta & immediata causa est ipsa unitatis solutio seu Exulceratio, præsertim in Venis, per quas ipsa nutriuntur. Ad quam etiã ceu individuus comes dolor & cruciatus iste subsequitur, qui tamen diversus quà sensum pro diversitate Intestinorum læsorum. Nam in tenuibus ob acumen sensus Pungitivi crebriores: in crassis perforativi. 2. de Loc. aff. toto contra Archigenem. Neq; tamen nulla hic confusio doloris Colici, Iliaci, atq; Nephritici, si quidem omnes hi tres absq; cruento alvi profluvio & excernendi cupiditate irrita sæpè se produnt. l. 6. loc. aff. c. 2. 5. τὸ αἴτιον πρῶτον.

XI.

Progredimur hinc à causis ad differentias. Quia verò nobis hic agere animus tantùm de vera Dysenteria, cujus quidem genus commune ἔκκρισις αἱματώδης, Gal. 3. de sympt. caus. c. 2. 2. de Loc. aff. c. 5. Com. de art. ad Hipp. t. 40. Facilè mendosæ & ementitæ, ut per se planæ removebuntur, inter quas non solùm ea est, quæ à sanguinis destillatione è capitis cerebrive venis rupis aut reseratis fit, in Ventriculum intestinaq; delati, cumq; alvi facib. excreti: sed & ista nobilis αἱματηρὴ, i.e. florida, rosea & sanguinea Hipp. vocata, nec non eidem altera ἡπατικὴ, quæ loturæ carnium crudarum & cruentarum colore respondet: Verùm hæ à legitima citò distinguuntur, si symptoma, i.e. torminũ gravitatem respexerimus, quæ ad unitatis solutionem necessariò succedit. In prioribus verò talis dolor non sentitur. 6. διαφορεῖ.

XII.

Pergimus inde ad signa, quæ quia triplicia, τῶν ἀναμνηστικῶν nunc 7. τὰ σημεῖα.

nunc immemores τὰ διαγνωστικὰ καὶ προγνωστικὰ duntaxat pervidebimus: Diagnostica partim speciem seu morbum ipsum; partim partem affectam, quædam denique causas declarant. 3. Epid. Com. 3. t. 34. 1. aph. 12. lib. de art. Med. const. c. 16.

1. Διαγνωστικὰ.

XIII.

Quæ speciem morbi ostendunt, vel sunt συνεδρεύοντα, i. e. assidentia, quæ ipsius quidem affectus Essentiam necessariò non consequuntur, nec indicant; sed dysenteriæ adhærent, ceu socii, verùm non adeò boni, nec ut Itali loquuntur, Bon-Compagni, vel bon-Amici: ut sitis torrida & torquens ægrum, vomitus, singultus, nausea, inquietudo, anxietas, vigiliæ, delirium, animi deliquium, sudor frigidus in extremis, & præsertim fronte, febricula interdum, si obstructio adsit & humores detenti putrescant purulenti suoque putrilaginoso calore & halitu sanguinem Spiritusque inficiant & ita febrem symptomaticam laticamque proritent; an & Erraticæ? Inter quæ quædam & προγινόμενα.

2. Συνεδρεύοντα.

XIV.

Vel παθογνωμονικὰ, quæ sunt ἀχώρεστα, ut cruenta & purulenta alvi fæcum excretio, dolor cruciatusve insigniter interque ruptim affligens, potiss. in Conatu excretionis, ubi tormina exacerbantur, & summa cum difficultate expelluntur excrementa: & sic à Tenesmo discernitur: ubi nullæ alvi fæces subsequntur: etsi perpetuum adsit desidendi desiderium, aut ut Hipp. alicubi loquitur, ἀδὲν ἀξιόλογον reddunt ægri: id quod tamen in verâ Dysenteria ob acrimoniã & copiam humoris semper aut ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον advertetur.

3. παθογνωμονικὰ.

XV.

An verò in gracilibus spissisve Intestinis Dysenteria glisciat, illud Excretorum varietas ad oculum ostendet, non cernente Medico, sed ministro ægri aut adstante obiter 1. aph. 1. etiam Galeni monito 1. Loc. aff. 1. Cùm intestini tunicam per

Dysen-

Dysenteriam viderit quis dejectam, sitq; & latitudine & crassities iis, quæ à tenuioribus solvuntur, multô major, non ab re conjiciet, Exulcerationem in crassis fore. Quia & color non abludet. Si enim è gracilibus; & sanguis & ramenta erunt tenuiora & teneriora rubicundioraq;: Sin è crassis; albiora & densiora, imò dolor acutior vehementioúq;, si in tenuibus & quidem circa umbilicum. 4. aph. 11. Sin in crassis, tolerabilior, & magis circa lumbos. Denique ab effectu pharmacorum. Quia si in crassis per Clysteres appropriatos & maturè adhibitos, citiùs allevabitur & tolletur malum: Sin in delicatis, per os propinata pharmaca magis profutura credimus & concedemus.

XVI.

Signa tandem â causis hausta mediocriter modò attento è superiore causarum tractatu percipi queunt: Pro ipsius sc. causæ habilitate & qualitate, pro ægri temperamento, pro victus & ætatis ratione, proq; anni & tempestatis constitutione 3. aph. 11. & 12. quæ ipsa quandoq; ob maligna μιάσματα, unde unde orta, humores corrumpit, putrefacit & contagiosam Dysenteriam inducit, cujus fomes etiam ex solo desessu in loco secreto, concipi potest: quod ut maximè mirandum: ita summoperè devitandum: sin malum ex abscessu oriatur, sanies profluens id arguet & acuet, subq; sequens inde sanguinis Excretio, ramentorum denique ex abrasione tunicarum Intestinorum cum fæcibus alvi expulsio demonstrabit. 4. εἰκότα δὲ αἰτίαν.

XVI.

Prognostica quod attinet, ea jure 1. ex affectu ipso. 2. parte affecta. 3. Ex causis, 4. ex Symptomatibus depromere licebit. 1. Ex affectu quidem ipso, qui ulcus est & sanè Internum, ubi Topica non tàm idoneè apponi possunt, quàm in Externis, præsertim si ulcus evadat malignum & saniosum,

periculo non vacat, idcoq; nulla Dysenteria flocci facienda: 2. Ex loco laso, in gracilibus Intestinis Dysenteriæ semper graviores atq; in crassis ob teneritatem tunicarum & loci difficiliorem elutionem per pharmaca ore sumenda, quæ commodior & expeditior in inferioribus ob viam latiorem & propinquiorem per clysteres. 3. Ex causis, mitior, quæ à sanguine, inde quæ à pituita apprimè salsa; hinc quæ à bile, inter quam ipsam rursus gradus pro p. naturalis bilis varietate & pravitate, ut porraceæ, æruginosæ, quæ longè pejor reliquis, omnium pessima, quæ ab atrâ bile, imò lethalis Hipp. teste Gal. l. 5. de us. part. c. 10. 4. aph. 43. Item quæ à pharmacis ὑπερκαθαρτικοῖς benignior, quàm quæ à venenis. 4. Deniq; à symptomatum; 1. doloris vehementia & clementia; alia mitior, alia sævior. 2. ab aliorum, quorum suprà catalogus fuit allatus, remissione & intensione, major minorvè metus subest. Critica tutior, quàm symptomatica; Quæ omnia discretiori Medici judicio & ἀγχινοίᾳ sunt relinquenda.

XVIII.

Signis ita utrinque præmissis recta imus ad Indicationem, à qua ad Curationem, inq; hac finiemus. Indicationes autem aliunde meliùs erui non poterunt, quàm è definitione. Nullum quidem symptoma, quâ symptoma ἢ ἐνδόγυον θεραπείαν, ἢ ὑπαλλάττει: nisi quâ rationem lædentis habet. 11. M. M. 12. & 12. ib. C. 1. οἷον ὀδύνη καὶ κένωσις ἄμετρος &c. quæ ambo hîc se offerunt. Profluvium ergò cruentum & quidem per intervalla nimium, sui indicat stitionem seu inhibitionem: Dolor autem vel sui sedationem, vel sensus stupefactionem vel causæ amotionem; ut J. C. Scaliger sollerter consulit Exerc. 132. p. 456.

XIX.

Et quia morbo debetur curatio, doloris verò causa proxima

ma sit Exulceratio intestinorum, & hujus iterum humorum acrimonia, aut icherosa purulentave sanies, gemina inde emergit Indicatio pro doloris non solùm mitigatione: sed & causæ morbificæ remotione. Nam Exulceratio indicat sui consolidationem, ceu continui solutio, quæ est prima & maxima doloris causa: Quia verò Exulcerationis unitio fieri non potest, nisi remota, unde ea pependit, causa, humor morbificus, qualis qualis fuerit, indicat sui ablationem, sive id fiat purgatione, sive Venæ sectione. Unde verissimũ experimur hic Therapeuticæ Methodi theorema apud Gal. in l. XIV. aureis & inimitabilibus. Quod primum est in Indicatione, illud postremum fit in Curatione, idq. ibid. lib. 3. probat medela artificiosa Vulneris & Ulceris Galenus. Vulnus enim aut Ulcus indicat sui conglutinationem: Sed si sanies, sordes aut pus affuerint, prius hæc removenda, abstergenda & eluenda. His enim non ablatis aut ablotis, nisi si recidivam ægro, gravioremve morbum ægro velis afferre, neutrum unquam aut non tutò sanescet. Autor Introduct. seu Medici c. 22. quod seriò perlegendum.

XX.

Quia igitur sordes, sanies & pus sui amotionis Medicum admonent; ideò Clystere hic opus, sed miti: sed leni primùm, ut dolor sedetur, somnusq., qui sæpè abest, ægro concilietur ex decoct. ros. ex oleo rosac. ex muccag. sem. psyllij, Coton. è succo tragi, rosace. cerat. Aut alio simili pariumq. virium ex lacte ovillo vel vaccino, in quo lapilli igniti fluviatiles sint extincti, aut etiam chalybs; item ros. rub. decoct. cum vitellis ovorum, ut diutiùs non modò hæreat: sed & morsicationem sopiat; ut Johannes

Schryonius in sua methodo medendi lib. 1. cap. 3. suadet, & probat illos, qui in Enematis ferè semper adjiciunt vitellos ovorum.

XXI.

Hinc abstergentibus, mundificantibus & glutinantibus res tentanda, ut potu aquæ hordeaceæ ad ptisanæ cremorem redacto cum 4. sem. frig. major. pro emulsione, quæ fervorem sanguinis & acrimoniam contemperare potest, aut jusculo pingui cum ovis & simila hodiè nostratibus familiari & persalubri, zerfahrens / aut ptisanâ Noricâ minore cum jusculo gallinarum vel caponum vel bubulæ carnis ad cremorem eundem redactis; sed aliquantò liquidiorem, ne plùs justo obstruat: sed magis abstergat & eluat: Quod si in inferioribus Intestinis vitium delitescat, clysmate ex aq. hord. saccher. D. Thomæ, Vitellis ovo. cum vino rubello subveniendum austeriusculo, aut ex sero lact. capril. hydromel. mellis ros. aut farf. triticeor. decoct. Cicerumve rubr. foliis & sem. plantag. languisorb. acetos. alleluia. ex amylo, item & faripæ triticia l. 1. de s. m. f. C. 36.

XXII.

Quibus ita ritè peractis, profluvium sistentibus & confortantibus tùm membra principalia: tùm Ventriculum cum primis & Intestina utemur, ut cornu cervi, scobe eboris, corall. rub. santal. tragacanth. myrrha, spodio terra Sigill. croci Martis, Rhabarb. tosto, & Myrobalan. trit. balaust. malicor. Cupul. glandium; & id genus aliis non paucis. Unde facile variæ concinnari possunt Receptarum formulæ: Ut hæc ℞. conser. ros. rub. sicc. ℥ j ß. boli arm. terræ Sigill. an. ℥ ß. Corall. rub. succini, C. c. usti an. ℥ ß. Syrupi myrtini q. s. pro opiata.

opiata. Item hoc: ℞. Cons. ros. antiq. & symphyt. an. ℥ ſ. Trochiſ. de Carabe & terra Sigill. an. ℈ j. Corall. rubr. marg. præp. an. ℈ ſ. Sacch. ros. q. ſ. pro Electuario.

XXIII.

Inter Trochiſcos laudantur de terr. Sigill. cum ſucco peræ paſt. Trochiſci de Carabe, de Spodio cum ſucco plantag. aut acetoſ. Inter Confect. diatrion ſantal. Diarhod. Abb. ob Epatis calidioris ſanguinem fervidiorem corrigendum. Inter Elect. Athanaſia, Philon. Perſ. ſed cautè, nec adeò recens: Diacod. Actuarij cum aqua pluvia, in qua ſpodium ebullierit.

XXIV.

Fomenta etiam conſtant è ſimplicib. adſtring. ut ex aq. chalyb. cum decoct. fol. & rad. plantag. ros. ſantal. tormentil. ſanguiſor. gnaphal. lagopi, quæ duo ſpecifica vi valent C. Unguenta parentur ex ole. cyton. maſt. cum pluv. ros. rub. bol. arm. Corall. rub. ſang. draconis gemini, officinalis & plantalis. quem ſignatura venarum rubrarum hîc commendat.

XXV.

Quod ſi corroborationem externam etiam fortiorem deſideremus, quidni proſit cataplaſma ex pane toſto cum pulv. nuc. myr. maſtich. cum oleo cyton. ros. rub. Vino rubello in ſcuti ſtomachalis, ceu Lunæ falcatæ, formam figuratum & ventriculo applicatum? Inter Topica Ungv. Comitiſ. & Emplaſtrum Diaphœn. apprimè in fluxu Epatico ſeu nothâ Dyſenteriâ probantur.

XXVI.

Et hæc quâ pharmaciam & medicamentorum materia apparatum, quorum copia nulla eſt inopia apud Practicos, apprimè apud Gal. 9. de comp. med. ſ. l. c. 5. ubi varia pharmacorum farrago; quos adeant & audiant juniores; ſed cum

delectuq. imitentur; nec quid pro quo describant absq. ullo ætatis, sexus, temperamenti, &c. discrimine: verùm usurpent longo usu & experientiâ tàm ab antiquis Græcis & Arabibus, quàm modernis Classicis comprobata. Nam Experimenta per mortes facere novis pharmacis non adeò videtur consultum, nec concessum.

XXVII.

Restat Chirurgia & Diæta, quarum hæc in nullo morbo negligenda, & in rebus 6. non naturalibus rectè à Medico adhibendis consistit. Aër ergò esto serenior & paulò frigidior, quàm nebulosior & pluviosior; Hic enim laxat ventrem & commovet humores: iste cohibet & adstringit. 3. aphor. 11. & 12. Victus sit εὐχυμος καὶ εὐπεπτος καὶ εὐτροφος, ex carnibus assis potius, quàm elixis avicul. mont. perd. merul. piscium saxat. ut fundulorum in sartagine frixorum, è pulmentis oryzæ cum pulv. arom. ut nuc. myrist. caryoph. cinnam. Item è rib. & berb. mixa Cyton. Cyton. ipse coctis, fructu item ros. sylv. Cynosbato dicto, qui & hodie inter mensarum delicias est, nec huic morbo ineptus. Galen. in lib. de remed. facilè paral. c. 112. Optimum, inquit, Dysenteriæ remedium cibi parcitas & paucitas & è cornis, è conditis mespilis, moris immaturis siccatis, fragisq. 2. de ali. facul. 18.

XXVIII.

Quin somnus semper melior, quàm vigilia: quies item, quàm motus. Unde somno studendum ob doloris mitigationem, ubi non infimæ famæ est Laudanum opiatum, sed in parva dosi vix ad 3. gr. in forma pilularum 3. Animi demum pathemata sint mediocria & moderata, jucunda magis; quàm tristia, siquidem illa dolorem levant; hæc exasperant, & exacerbant. Unde & sapiens Vir, Vinum & Musicam lætificant cor hominis, verè asseveravit.

29. Chi-

XXIX.

Chirurgia tandem prima fronte hic locum videtur habere nullum, cùm sanguis aliàs abundè satis fluat: Quapropter Galen. lib. 1. ad Glauc. & 4. Comm. Vict. acut. Sanguinis missionem hîc interdixit, & Hippoc. 1. aphor. 13. monuit, ubi sanguis fluit aut fluxurus est, non oportet calefacere. Quare & medicamenta purgantia, præsertim vehementer, ut scamimoniata, diagrydiata, Antimoniata ob nimiam caliditatem, hic minùs convenient, nisi benigna sint & vim adstringentem habeant, ut Rhabarbarum, Myrobalanorum quinq; genera, Item radix Mechoacan dulcis vera, Manna item, Cass. fist. Tamar Indorum pulpa, quorum usus pro abstersione & evacuatione humorum Dysenteriam excitantium esse consuevit.

XXX.

Quod phlebotomiam tamen attinet, geminâ cautelâ est opus: Si corpus aliàs plethoricum sit. 2. Si aliunde ad Intestina sanguis irruat fervoreq; & acrimonia sua majorem venarum erosionem irritet, revulsione opus aut derivatione, quarum illa fieri potest Venæ sectione in brachiis vel cruribus, hæc hæmorrhoidibus apertis. Quod si tamen ex inhibitis mensibus dysenteria pendeat, Salvatella est incidenda, aut Vena saphena in talis: Sin plethora sit in toto corpore, basilica vel mediana: Sin revulsione & aversione in humeralis aut salvatella in manu. Quia venæ Gastricæ & Entericæ ob situm profundum aliàs nec commodè, nec tutò pertundi queunt, nisi si scarificatas cucurbitulas vel in abdomine, vel in dorso ad scapulas adhibere placeat. Hirudinum usus nostræ regioni est inconsuetus.

31. Atq;

Atq; hæc fuerunt, quæ de hoc affectu atrocissimo præsente tempore verno proponere ordinariè in gratiam nostrorum Candidatorum, aliorumq; Medicinæ cultorum proponere libuit & licuit. Quia tamen medicamenta selectiva, ceu vinum bonum in nuptiis Cananaicis ad convivij finem reservari solent, ideò & nos Colophonis loco, ne invidi videamur, quædam subnectemus, è quibus inter metalla præfulget, ceu sidus illud planetæ in sua Sphæra scintillat, Crocus Martis, Tinctura Corall. Tinct. & Elect. Chalyb. Essent. Croci Martis, Tinctura Smaragdi, Ess. lapid. hæmatit. Ole. mastich. Ol. Ceræ, Spiritus Vini rubri stiptici Francici, Essent. & Theriaca mumiæ ex carne hominis rufsi; inter stirpes extractum Tormentillæ, Rbabarb. & Myrobal. tostorũ & tritorũ: inter animaliũ partes sanguis hircinus torrefactus & pulverisatus: item sebum hircinum tàm per os assumendum, quàm per clysmata infundendum: imò & quidem ἐκ συμπαθείας ἢ ἰδιοσυγκρασίας, Sanguis humanus arefactus & tenuiter tritus & quidem masculus in masculis, fœminus in fœminis, qui non solùm alibi sanguinem profluentem sistit: sed & hic propinatus, ubi & nos subsistimus & cum Scalig. Exerc. 272. p 820. sanguinem eundem pro corporis nostri nutritione anteponimus auro potabili, an putabili? Quia nihil similius. Is verò, qui auro vescetur, aurum fiet & alter Midas auritus, aut aurea Gallina nov-antiqua Plin. l. 29. celebrata & Scalig. Exerc. 88. recantata, Auro liquido si carnes gallinarum admisceantur, ab his rapi. Itaq; auri venenum esse. Quod si verum est, sanè sic præsentius & commodius adipiscemur aurum esculentum, quàm potulentum, idq; pro arcano Dysentericorum resumptivo, aut consummato.

τῷ Θεῷ τῷ τρισαγίῳ δόξα.